DEO DUCE

MEDITATIO S. EPISTOLÆ

DOMINICÆ LÆTARE

SEU IV. QUADRAGESIMÆ

Additis S. Patrum dictis Quæstionumq; aliquot decisione, ad uberiorem textus cum opus est explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

QUAM

In Regiâ Aboënsi Academiâ,

PRÆSIDE,

ÆSCHILLO PETRÆO, S.S. Theolog. Doctore & Episcopo Aboënsi,

Examini subjicit in Auditorio Majori, horis solitis

Ad diem Februarii, *Anni* 1655.

ANDREAS BENEDICTUS Ståhlfoot

S. R. M.tis Stipendiarius.

Ambrosius hunc in locum.

Unum ex ancilla & unum ex libera. Hoc in Genesi habetur, quia cum Sara generare non posset, erat enim sterilis, Agar ancillam suam obtulit viro suo Abrahæ in concubinam, & quod generasset adoptaret sibi. Sic factum est, ut de Agar nascereturIsmaël. Postea nutu Dei promissus est Abrahæ filius de Sara uxore sua, quæ erat sterilis, hæc peperit Abrahæ Isaac. Tunc cæpit Abraham duos habere filios, unum de ancilla & unum de libera.

Hieronymus in hunc locum.

Nos autem fratres secundum Isaac, promissionis filii sumus. Quomodo de Isaac, ita & de nobis est Abrahæ repromissum, quod scil. in eo benedicendæ essent omnes gentes.

ABOÆ,

Impressa â PETRO Hansen/ Acad. Typog.

Circumſpectiſſimo, Reverendo, variarumq; rerum peritiâ Spectatiſſimis ac Humaniſſimis Viris-Dominis,

DN. PETRO Thorwöeſten/ Metropolis Finlandiæ Civi ac Negotiatori primario circumſpectiſſimo; ut Promotori ac Fautori maximè favorabili; ità Patris loco, omniq; honoris & obſervantiæ zelo ævitèr ſuſpiciendo.

DN. BRYNOLPHO MAGNI, Eccleſiæ Suecanæ Aboënſis Eccleſiaſtæ pervigili, Fautori itidem & benefactori colendo, honorando.

DN. PHILIPPO Bellekow/ prædictæ civitatis Civi & Negotiatori perinduſtrio.

DN. BARTHOLLO TH: COLLAND:, Regio Veredario civitatis Aboënſis expeditiſſimo.

DN. PETRO Hanßon/ Regiæ Acad: Aboënſis conſtituto Typographo artificioſiſſimo; Fautori, benefactori & amico cordatiſſimo.

DN. OLAO L. HALENIO Calm:-Smolando, S. S. Theol: & Philoſ: cultori maximè ſtrenuo, Fautori, Fratri & amico, ut ab initio, ità ad finem, amicorum ſuaviſſimo, certiſſimo.

Omnibus & ſingulis hiſce meis Promotoribus ac Benefactoribus felix & fauſtũ Novi Anni auſpicium, Strenæ loco, ex intimis cordis receſſibus felicem ejusdem ingreſſũ, feliciorem progreſſum, feliciſſimumq; demùm egreſſum opto. Rogo præterea ut Infantulus *JESUS Chriſtus novus ille natus, vos omnes & ſingulos cum familia veſtra, & in omnibus veſtris negotijs, non ſolùm hoc anno, ſed etiam omnibus diebus vitæ clementèr proſpiciat, protegat & conſervat, & tandèm hoc curriculo vitæ finito, ad aſtra poli idem vos provocat & advehat. Amen. Avete & favete,*

Veſtrum Ståhlfoot.

MEDITATIO S. EPISTOLÆ.

DOMINICÆ LÆTARE.

In Sanctæ & summè Laudandæ Trinitatis, Patris, filii & Spiritus Sancti nomine.

CAntate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Salvavit sibi dextera ejus: & brachium sanctum ejus. Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium revelavit justitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israël. Viderunt omnes termini terræ, salutare Dei nostri. Jubilate Domino omnis terra: cantate, & exultate, & psallite. Psal: 98. v. 1. 2. 3. 4. Admonetur Ecclesia his verbis ad laudem & gratiarum actionem erga Deum, ad canendum novum canticum, hoc est, eximium & præstans canticum, eximium aliquod Dei beneficium celebrans. Adduntur causæ talis cantici canendi: Quia Deus facit mirabilia, victoriam reportat à suis hostibus dextrâ suâ & sancto suo brachio. Deus defendit suam Ecclesiam, gregem illam pusillam, ut non opus sit nulla ex parte eam tueri, uti hæc divina protectio pluribus explicatur Psal: 91. Additur etiam alia causa laudandi Deum novo cantico; Quod Dominus faciat annunciari suam salutem coram populo & suam justitiam, vlz. quâ justificamur in conspectu ejus, justitiam fidei, quam nobis applicamus fide in Christum, quâ verè sumus justi, ut lex nihil habeat quod in nobis

condemnet; & ita DEus cogitat erga nos gratiam propter Christum, & veritatem servando domui Israël, ita ut etiam omnes fines mundi videant salutem Dei nostri; etiam gentes quæ non sunt ex domo Israël. Gratæ etiam sunt filii promissiones, non sunt filij ancillæ sed liberæ, liberati à servitute & jugo legis per Christum. De hoc agitur etiam in Epistola jam explicanda.

ORemus etiam Deum ut hanc Epistolam ita meditari queamus ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ & bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in æternam beatitudinem, dicemus igitur Pater noster &c.

TEXTUS, Gal. 4. â v. 22. ad finem.

SCriptum est enim, quod Abraham duos filios habebat, unum ex ancilla, & unum ex libera. Verùm is qui ex ancilla natus est, secundum carnem natus est: qui verò ex libera, per repromissionem. Quæ per allegoriam dicuntur. Nam hæc sunt duo testamenta, unum quidem ex Agar: nam Agar Sina mons est in Arabia: Confinis est autem ei, quæ nunc vocatur Hierusalem, servit autem cum filijs suis. At quæ sursum est Hierusalem, libera est: quæ est mater omnium nostrum. Scriptum est enim: lætare sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi liberi desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum. Nos autem fratres secundum Isaac, promissionis filij sumus: Sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui

natus

natus erat ſecundum ſpiritum, ita & nunc: At quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium ancillæ, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres non ſumus ancillæ filij ſed liberæ.

ADmodum familiaritèr & amicè compellat Apoſtolus ſuos auditores Galatas, antequam incipiat ſcribere hujus recitatæ Epiſtolæ verba, vocans eos filios ſuos: filii mei inquit, quos iterum pario, donec formetur Chriſtus in vobis, hoc eſt, donec planè & prorſus adhæreatis non declinantes deorſum vel ſiniſtrorſum, ut ante hac inſtabiles fueritis, ut conqueritur, Gal: 3. ℣. 1. 2. 3. Vellem inquit Apoſtolus, eſſe apud vos, prout cauſa dabitur de vobis. Mox alloquitur eos dicendo: Dicite mihi vos qui ſub lege vultis eſſe, nonne legem auditis quod dura ſit & neminem faciat liberum, ſed omnes pronunciat ſervos, excludens nos ab hæreditate cœleſti. Eſt lex, inquit Apoſtolus, talis mater, quæ gignit in ſervitutem, non in libertatem, non tribuit hæreditatem ſed eius filii jubentur exire de domo paterna & hæreditate iſta. Inquit, ſi velitis in Chriſto manere quò Evangelium proponit, liberi evaditis & hæredes vitæ æternæ. Hoc ſimilitudine quâdam declarat ducta à duobus filiis Abrahami, uno ex ancilla Hagar, & altero ex libera Sara. Filius ancillæ Iſmaël ejectus à domo paterna, ſed filius ex libera Iſaac manſit in domo, hæres factus omnium bonorum. Conſolatur etiam Apoſtolus Galatas, quod ſi maneant in Chriſto, ſint filii promiſſionis, ſicut Iſaac erat, qui à liberâ natus erat. In hoc textu confirmatur articulus fidei noſtræ ſecundus: Credo in JEſum Chriſtum qui paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus &c, omnia paſſus propter nos, ut nos evaderemus juſti

vid tribuit lectioni & meditationi Scripturæ, hoc ex Psalmo ipsius primo, & 19. & 119. notum est.

II. Filiorum Abrahami ex Sara libera & Hagar ancilla, significativam explicationem.

Scriptum est, inquit, quod Abraham duos filios habuerit, unum ex ancilla, alterum ex libera, Qui ex ancilla, natus erat juxta carnem; qui verò ex libera, natus est juxta promissionem. Ostendit itaque Apostolus singulari Dei providentiâ factum, ut Sara daret Abrahamo in uxorem ancillam, quæ non libera erat nata, sed ad servitutem ex Ægypto empta ancilla. Et quod etiam Sara ipsa quæ libera nata, haberet filium, ut ita Abrahamus pater esset duorum filiorum, unius ex ancilla, alterius ex libera. Et quod hæc matrum filiorum inæqualis conditio & status, duas res magnas significat, & quidem duo Testamenta Vetus & Novum, sive Legem & Evangelium. Nam Lex tribuitur Testamento Veteri, Evangelium Novo, non quod solùm lex fuerit in V. T. & non Evangelium, nec quòd in N.T. solùm sit Evangelium & non etiam Lex; nam utrumque Lex & Evangelium in utroque Testamento fuit, interim quia Vetus Test. plurimis legibus abundat, lex potissimùm tribuitur Veteri testamento. Et quia in N.T. solùm obtinetur Decalogus, idcircò tribuitur N. T. Evangelium. Ad hoc idem declarandum, ostendit Apostolus, quòd per montem Sinai, qui est in Arabia, etiam significatur illa servitus hominis sub lege, & quod Jerusalem quoq; terrena illa itidem significat legem, & eorum, qui sub lege esse volunt, servitutem; Et sicut Deus per Saram indicat libertatem Evangelicam, ita etiam nova Jerusalem eandem significat.

L. C. 1. Diversitas ista quod inter homines, quod alii sint liberi, alii servi, quæ diversitas longe major est in orientalibus regionibus inter servum & Dominum quam apud nos, qui servos nec emimus nec vendimus, à Deo interdicta est. Servus enim vocatur à Deo ad servitutem, ut ostendit Apostolus dicens: Servus vocatus es, ne cures. 1. Cor: 7. De servis legem fecit Deus & quomodo servus quis juxta divinam ordinationem fieri posset. Exod: 21. Hæc itaque servitus patienter ferenda, in hoc mundo solum durat talis discrepantia, nec cuiquam quoad salutem est damnosa. Siquidem, ut inquit Apostolus, in Christo non est servus & liber, Dominus vel servus, sed omnes Christi cohæredes & Dei hæredes. Gal: 3. ℣. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.

L. C. 2. Quia Apostolus variis modis ostendit diversitatem doctrinarum, legis & Evangelii, nunc per duos filios Abrahami, unum natum ex libera, qui filius significat Evangelii doctrinam, alius verò ancillæ significat legem, quæ in servitutem generat: Nunc per duos montes & terrenam Jerusalem, nec non Jerusalem quæ supra est: ostendit quod Deus velit doctrinam legis & Evangelii distinctè proponi in Ecclesia & non confundi: Et dum hoc fit, obscuratur doctrina salutis, sicuti in Papatu factum, ante Lutheri divinitùs institutam doctrinæ repurgationem. Utinam cum gratiarum actione hoc beneficium Dei agnosceremus.

III. Qui filii ancillæ & quæ eorum conditio.

Filii ancillæ generantur in servitutem; significat eos qui sub lege esse volunt & indè justificari & salvari per sua opera & merita, Quamvis

verùm etiam ex gentibus. Ut etiam apud Oseen dicit: Vocabo populum qui meus non erat, populum meum, & eam quæ dilectâ non erat dilectam. Et erit, in loco ubi dictum fuerat eis, non populus meus vos, illic vocabuntur filii viventis Dei. Esaias autem clamat super Israël, etiam si fuerit numerus filiorum Israëlis ut arena mari, reliquiæ servabuntur. Rem enim conficiet & concidet cum justitia: Quoniam rem concisam peraget Dominus in terra. Et sicut priùs dixit Esaias: Nisi Dominus Zebaoth reliquisset nobis semen, facti fuissemus ut Sodoma, & Gomorrhæ similes facti fuissemus. Quid igitur dicimus? nempè Gentes non sectabantur justitiam, apprehendisse justitiam, justitiam autem eam quæ est ex fide: Israëlem verò consectando legem justitiæ, ad legem justitiæ non pervenisse. Quare? quia non ex fide, sed velut ex operibus legis, impingerunt enim ad lapidem, ad quem impingitur. Quemadmodum scriptum est: Ecce, statuo in Zion lapidem, ad quem impingitur & petram offendiculi: & quisquis credit in eum, non pudefiet.

SECUNDA PARS.

In Prima parte statum infelicem filiorum ancillæ volentium justificari per legis observationem, cognovimus. In hac Altera, optimam conditionem filiorum liberæ sive discipulorum Christi & Evangelij, aspiciemus.

In qua meditamur:

I. Eorum libertatem, liberam

habent matrem, quæ hic vocatur Nova quædam Jerusalem de cœlo veniens, quæ describitur Joh. 21. Descendit

dit filius Dei de cœlo ut satisfaceret pro nobis, & nos redderemur liberi à maledictione legis, sicut Esaias cap: 53. hoc multis docet. Nascuntur hi per Evangelium quod Christus de sinu Patris protulit.

II. Discipuli Christi plures

sunt & numero vincunt discipulos & filios legis, vel in ipsa salutis acquisitione & æternæ hæreditatis possessione. Quo applicat Apostolus illud Esa: 64. ℣. 1. seq: ad ℣. 16. Ita Christus ad discipulos suos ait: Nisi justitia vestra abundaverit plùs quàm Pharisæorum & scribarum, non potestis intrare in regnum cœlorum. Ergò certum est, quod quotquot cum Pharisæis & scribis quærunt justitiam & salutem æternam ex & in lege, non possunt intrare in regnum cœlorum. Ergò Evangelio plures salvantur quàm lege, hoc est, omnes qui salvantur, per Evangelium salvantur, nullus verò per legem.

III. Discipuli Christi, qui sunt

filii liberæ matris, possunt seriò gaudere, frui bonâ conscientiâ, possunt lætari in Domino, ut præcipit Apostolus Philip: 4. Habent quotidianum convivium, siquidem ubi bona conscientia est, ibi & quotidianum convivium. Ubi remissio peccatorum est, illic est vita & justitia: At soli discipuli Christi & Evangelii & filii liberæ habent remissionem peccatorum. Audiunt illam vocem: sis bono animo, peccata tua dimittuntur tibi. Matth: 9. At illis qui sub lege sunt nunquam annunciatur remissio peccatorum, sed audiunt clamantem legem: Fac hoc & vives, abi & fac, non dum feci sti. Sed Evangelii discipulos credentes in Christum scriptura beatos prædicat. Psal: 32. v. 1. & seq: ad ℣. 8. inquit David: Beatus levatus à

defectione, cujus tectum est peccatum, cui non imputat JEhova iniquitatem, & cujus spiritui non inest dolus. &c. Beati omnes, qui confidunt in Christo, Psalm: 2, v. 12. Possunt dicere cum Paulo, 1 Cor: 15. v. 54. 55, ad finem cap: Postquam, inquit, hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem, & mortale istud induerit immortalitatem, tunc fiet illud quod scriptum est: Absorpta est mors ad victoriam. Ubi tua, ô mors, victoria? ubi tuus, ô sepulcrum, aculeus? Aculeus verò mortis est peccatum: Vis autem peccati, lex. Deo autem habetur gratiâ, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum JEsum Christum. Itaque, stabiles estote, immoti, eminentes in opere Domini semper, qvum sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino.

IV. Discipuli Christi & filii

liberæ matris patiuntur quidem persecutionem à filiis ancillæ & filiis istis carnalibus, sicuti Ismaël persequebatur Isaacum, verùm ita assueti sunt à teneris, ita ex verbo Dei edocti, non curant hoc, gaudent suis privilegiis & libertate, quâ à Christo donati sunt, floeci faciunt illorum odium & perversitatem, vincunt patiendo, vincit qui patitur; sciunt instare in omnibus mundanis finem. Sciunt illis eventurum quod moriantur & tandem desinent nocere. Et quo magis delectantur pii & fideles Christi, expectant illum felicem ex hàc vitâ exitum, pro quo etiam cum Paulo, Deum orant, dicentes: Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Vita mihi Christus, mors mihi grande lucrum. Momentanea levitas afflictionum, æternum gloriæ pondus parit. 2. Cor. 4. à v. 8, ad fin.

L. C. Quia talis tàm bonæ conditionis illorum qui in Jesum Christum credunt, ei adhærent & vitâ & morte non.

non ſinunt ſe ſeparari ab eo, nullis rebus, de quibus diſſerit Apoſtolus Rom: 8. à v. 35. usque ad finem, dicens: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? nùm afflictio? nùm anguſtia, nùm perſeqvutio, nùm fames, nùm nuditas, nùm periculum, nùm gladius? (ſicut ſcriptum eſt: Tui cauſà occidimur totam diem: reputati ſumus velut oves deſtinatæ mactationi.) Imò in his omnibus amplius quàm victores ſumus per eum qui dilexit nos. Nam mihi perſuaſum eſt, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque poteſtates, neq; præſentia, neque futura. Neque ſublimitatem, neq; profunditatem, neque ullam rem aliam conditam poſſe nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Adhæreamus itaque Chriſto, non quæramus ſalutem noſtram in lege, ſed in Chriſto. Legem quidem & bona opera quæ lex requirit non intermittamus, verùm iis non adſcribamus ſalutem. Concludimus cum Paulo hominē juſtificari ſolâ fide ſine operibus. Luceat nihilominùs lux noſtra coram hominibus ut videant noſtra bona opera, ut glorificetur Pater noſter cœleſtis. Matth: 6. Fides eſt arbor bona non carens ſuavibus fructibus, quales recenſentur, Gal: 5, ℣. 22. 23. 24. dicens: Fructus ſpiritus, eſt charitas, gaudium, pax, iræ cohibitio, benignitas, bonitas, fides, lenitas, continentia. Adverſus ejusmodi non eſt lex.

CLementiſſime DEus Pater Cœleſtis, qui nos feciſti liberos & filios tuos, per filium tuum Dominum noſtrum IESUM Chriſtum; da nobis etiam tuam gratiam, ut grato animo & dignis laudibus hujus ſemper recordemur, & filiorum tuorum ſalute & gaudio in manſionibus cœleſtibus ſine fine fruamur. Per Dominum noſtrum IEſum Chriſtum. Amen.

BEnedictio, & Claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Amen! Apoc: 7. v. 12.

QUÆ

QUÆSTIONES

I.

AN Scripturæ fœcunditas consistat in varijs sensibus? Resp. Non.

Sciamus eum esse verum Scripturæ sensum, qui germanus est ac simplex; eumque amplectamur & mordicus teneamus. Fictitias expositiones, quæ à liberali sensu abducunt: non modò negligamus tanquam dubias, sed fortitèr repudiamus, tanquam exitiales. Verùm quid respondebimus ad Pauli verbum? Certè non intelligit Mosem eo consilio scripsisse, ut Historia in allegoriam verteretur. Sed admonet qualitèr præsenti causæ historiæ convenit: nempè si figuratè illic delineatam nobis Ecclesiæ imaginem observemus.

II.

An Isaacum persequutus Esavus gladio? Resp.

Non persequutus est Ismaël fratrem gladio, sed quod deteriùs & superbè adversus illum se efferebat, promissionem Dei pedibus calcando. Hic etiam fons est omnium persequutionum, quod impii Dei gratiam in Electis & spernunt & oderunt. Cujus rei luculentum documentum habemus in historia Cain & Abel.